

SELECTÆ  
EX  
UNIVERSA  
PHILOSOPHIA  
THESES ET ANTITHESES

---

QUAS  
AUSPICE  
DEO

FONTE VERITATIS,  
PATROCINANTIBUS  
DIVIS PHILOSOPHIÆ  
TUTELARIBUS,

PRÆSIDE

P. JOANNE SCHWAB, S. J.

AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRO,  
EJUSDEMQUE IN ALMA ELECTORALI  
ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE  
HEIDELBERGENSI, PROFESSOR.

PUBL. ORDIN.

PROPUGNABIT

Prænobilis, Ornatus ac Pereruditus Dominus

D. FRANC. JOSEPH. DE STENGEL,  
Mannheimensis,

Equestris Ecclesiæ Wimpinensis in valle, nec non insignis Col-  
legiata Sittardensis Canonicus, Philosophiæ Baccal. utriusque  
Physices, Ethices ac Matheos Auditor, S. C. C.

HEIDELBERGÆ IN AULA ACADEMICA

DIE MAJI MDCCLXX.

Horis ab octava ad decimam consuetis.

---


---

Typis Jo. Jac. Hæner, Typogr. Aulico - Academici.

PHILOSOPHIA, non Stoica, nec Plato-  
nica, aut Epicurea, & Aristotelica; sed quæcun-  
que ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent  
Justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum.

CLEM. ALEX. *Strom. I.*

PHI  
Non mor  
Arist  
sique Lo  
en nos c  
gitandi  
tham su  
rigit, si  
a falsis  
m inger  
es, in q  
adi cum  
scienci  
In ter  
ramus  
Secund  
per P  
decurj  
II. Ter  
pliatio  
quæ u  
Hic m  
quas a  
iam in  
Nun  
Philo  
rationum



PHILOSOPHIA MENTIS.

**N**on moramur splendida nomina, quibus  
 ARISTOTELES, TULLIUS, SENECA  
 aliique Logicam magnifice exornant. Ean-  
 dem nos clavem scientiarum ac artem recte  
 cogitandi & disputandi dicimus, cujus ob-  
 jectum sunt operationes mentis, quas ipsa  
 dirigit, finis vero est, solida ab inanibus, ve-  
 ra a falsis discernere, & tenella adolescen-  
 tum ingenia comparare ad sublimiores scien-  
 tias, in quibus constat, vix quempiam pro-  
 gredi cum fructu ac dignitate posse, qui in  
 hoc sciendi tirocinio hæsitaverit. Igitur sit

I. *In terminorum catalogo præcipue confide-  
 ramus & exponimus concretum, primæ &  
 secundæ intentionis, eosque omnes, quorum  
 per Philosophiæ aliarumque disciplinarum  
 decursum frequentior usus redit.*

II. *Terminorum affectiones sunt status, am-  
 pliatio, restrictio, diminutio, alienatio, &  
 quæ una est adinstar omnium, suppositio \*).*

\* 2

III.

---

\*) Hic multæ lites, plures trixæ circa vocabulorum notio-  
 nes, quas accumulanti minutiarum Dialecticarum rabulista &  
 ipso jam in Philosophiæ limine aures tironum misere obtun-  
 dunt. Nunquid non multo digniora & jucundiora in amœ-  
 nissimo Philosophiæ viridario occurrunt, in quibus & acui in-  
 genia tironum & occupari majori cum fructu ac dignitate possent?

III. *Regulae vulgares suppositionum, oppositarum & hermeniae subsistunt.*

IV. *Judicium est opus intellectus, non voluntatis, quidquid in idea clara & distincta*  
**CARTESII** *de hoc reluceat.*

V. *Judiciorum errores, errorum fontes & media eisdem corrigendi assignabit D. Defendens.*

VI. *Regula generalis syllogismorum categoricorum est, ut una praemissa contineat, altera ostendat contineri conclusionem: ad sophismata tamen & Paralogismos discernendos serviunt septem Regulae communes.*

VII. *Speciales leges pro syllogismo hypothetico, mixto, causali &c. assignamus & defendimus.*

VIII. *Methodum syllogisticam in disputando socraticae praehabendam asserimus \*).*

IX. *Datur scientia eaque de novo acquisita, quae non sit mera reminiscentia.*

X.

---

\*) Quamquam tam truces ac tetri non sumus, ut cultioris saeculi nostri bono gustui in omnibus refragemur, formam Socraticam subin adhibendam & ipsi censemus, praesertim in illis, ubi de definitionibus, divisionibus, neque de rebus admodum controversis agitur.



X. *Evidentia, sensus communis & intimus sunt criteria veri metaphysice certi.*

XI. *Fieri non potest, ut stante ineluctabili relatione sensuum nulla prorsus sint aut fuerint corpora: circa existentiam tamen corporum determinatorum habetur certitudo tantum physica.*

XII. *Authoritas humana in gradu supremo parit certitudinem saltem physicae supparem, in gradu medio moralem simpliciter, in infimo moralem qualemunque, seu potius praesumptionem veritatis.*

*Reflexio Critica.*

Prodit hodie LOGICA se ipsa cultior, atque ab inutilium quaestionum farragine emendata. Quare nobis omnino sordet illud vulgus Philosophorum eruditionis incuriosum & unice peritum rixandi, qui non nisi tricas inutiles venantur, magnumque momentum in eo ponunt, ut propositiones dictis, modis & nodis misere involvant ad terrorem adolescentum & infamiam Logicæ scholasticæ. Sane fructum alium ex immensa illa ac prope formidabili objectiuncularum levissimarum mole non referunt boni adolescentes, nisi ut aliqua cum periculo cerebri addiscant, quorum deinceps memoria nulla redibit nisi forte ad risum, & indignationem. Discrimen itaque inter solidas difficultates & meras tricas facimus, has rescindimus, illas ad acuenda ingenia reservamus.

## PHILOSOPHIA ENTIS.

**E**x Logicæ vepretis ad Philosophiam Entis five Metaphysicam recto ordine progredimur, quæ non jam spinis horrida, sed excisa illa quæstionum Arabicarum silva, a viris rerum philosophicarum peritissimis tam sedula felicique opera exculta fuit, ut deterso illo squalore, pulvere ac situ novum splendorem ac faciem indueret. Est autem scientia rerum immaterialium, quæ in **ONTOLOGIA** de ente, ejusque attributis, in **PSYCHOLOGIA** de Anima, in **THEOLOGIA NATURALI** de Deo solide ac copiose disputat. Quid vero de veterum speculationum farragine omissum, quid emendatum, sincere ac candide sequenti mox schemate exhibemus.

- I. *Præter possibilitatem extrinsecam datur etiam intrinseca.*
- II. *Causæ creatæ non sunt precariæ, quarum occasione solus Deus omnia ac singula agit, sed iis competit vera vis activa \*).*
- III. *Ex duabus contradictoriis de futuro contingente una jam nunc est determinate vera, altera falsa, etiam præscindendo a decreto vel præscientia Dei.*

IV.

---

\*) An dicendum forte, Deum delectari hominibus decipiendis, atque oculis nostris fucum facere, ut **ROSCIUS** quidam in scena, qui pupas, icunculas aut pigmæos ligneos movet, versat, gyrat ope fili ferrei, vel chordarum gestulationes ciet mirabiles in capite, brachiis, pedibus?

V. Met  
que fe  
Iuper  
VI. Ani  
fectui  
partiu  
tiones  
VII. E  
taphy  
hujus  
VIII. E  
libert  
politi  
X. Pra  
libert  
X. Adm  
ma c  
rum  
lite  
XI. Sy  
cum  
trax  
effec  
apte  
tuem  
XII. E  
\*) Quo  
se velat.  
\*) Nun  
impeto, su

IV. *Metempsychosis Pythagorica fabula est, quæ forte apud extremos Indos ad ridiculas superstitiones adhuc servit.*

V. *Animæ humanæ creantur a solo Deo & fœtui infunduntur, quando datur organica partium dispositio saltem ad aliquas operationes vitales sufficiens \*).*

VI. *Anima est substantia simplex ac spiritualis.*

VII. *Ejus immortalitas argumentis tum Metaphysicis tum moralibus contra incredulos hujus sæculi solide probatur.*

VIII. *Etiam in statu naturæ lapsæ est libera libertate indifferentiæ ad actus non tantum politicos, sed etiam bonos aut malos.*

IX. *Prædeterminatio physica non videtur cum libertate hac posse bene componi.*

X. *Admirabile omnino est commercium animæ cum corpore, quod per systema causarum occasionalium aut harmoniæ præstabilitæ explicari nequit.*

XI. *Systema limitatum P. Tournemine, cum nihil admittat sanæ Philosophiæ contrarium, sensui intimo scite concordet, & effectus ex hoc commercio nasci solitos satis apte digerat & explicet, admittimus ac tuemur.*

XII. *Bruta non sunt mera automata \*\*).*

\*) Quo id tempore contingat, nesciunt omnes, si candidi esse velint, neque nos hariolando detegemus.

\*\*) Nunquid irascimur autigæ, qui fuisse trinodi in tergum impacto, infelix CARTESII automaton adigit ad cursuum?

XIII. *Quod attinet ad animam Brutorum, sentimus cum Recentioribus.*

XIV. *Existentia Dei demonstrari potest a posteriore etiam permissio atheis aliquo processu in infinitum.*

XV. *Deus est providus, omnia & singula suaviter gubernat, immediate influit in omnes actiones creaturarum, quin tamen causa peccati dici possit.*

*Reflexio Critica.*

ONTOLOGIA tradit notiones rerum generales, quarum notitia maxime necessaria est. PSYCHOLOGIA de anima tractat, quid autem Philosopho magis dignum, quam animo ipsam animam contemplari? THEOLOGIA NATURALIS de Deo disserit, & tironem Philosophum adversus Atheistarum molimina munit. Mirari proin fatis non possum, quod quidam male critici Metaphysicam ad steriles, obscuras, & ignobiles artes abjiciant, eam ceu lexicon philosophicum, silvam spinosarum quæstionum, subtilitatum & altercationum jocus illiberalibus ac dicteriiis proscindant, adeo, ut vel ipsum Metaphysicæ nomen in convicium prope jam abierit. Fateor, quid enim juvat in tanta recte philosophantium luce porro dissimulare, veteres olim in famosa illa universalium silva entia rationis nimis operose indagasse. At vero siquid in hoc genere peccatum est, non id pulcherrimæ scientiæ vitium, sed quorundam Arabice disputandi pruritus erat. Metaphysica hodie velut arbor castigata pulchrius ac nitidius frondet.

PHILO-

PH  
I  
quæ  
ram sole  
stra præf  
ignobiles  
rum Pri  
ntem  
tes etia  
fectus r  
sistit.  
navigati  
medicæ  
riscera  
æ mag  
tem hu  
Partitu  
ex vast  
I. Prin  
sensi  
les.  
sibil  
corp  
II. Pr  
confi  
mole  
\*) Tor  
ant, quot  
mandum  
libitæ fun



PHILOSOPHIA SENSUUM.

**P**HYSICA scientia naturæ corporeæ est, quæ, si unquam eruditissimorum viro- rum solertia ac ingenio exulta floruit, no- stra præsertim ætate in scholis ac lycæis non ignobilem locum obtinet & favore summo- rum Principum mirificè excolitur. Miscet autem **P**HYSICA utile dulci. Perficit ar- tes etiam mechanicas, siquidem in sola ef- fectus naturalis sterili contemplatione non sistit. Inservit usibus œconomicis, dirigit navigationes, excolit agriculturam, arti medicæ principia suggerit, ipsa naturæ viscera experientia præcipue duce & ratio- ne magistra scrutatur, atque ad limites sal- tem humani ingenii solertissime investigat. Partitur autem in generalem & specialem, ex vastissimo illius ambitu hæc pauca damus:

- I. *Prima principia materialia corporum in- sensibilia sunt atomi, quas ponimus insenti- les. Corpuscula elementaria sub mole sen- sibili jam constituta sunt materia sensibilis corporum \*).*
- II. *Principium formale seu forma corporum consistit in varia combinatione & figura molecularum.*

\* 5

III.

---

\*) Tot circa principia corporum Philosophorum opiniones sunt, quot ferme capita & ingenia. Sed mirum! Deus cum mundum condidit, an Philosophorum quispiam adfuit, qui fabricæ fundamenta inspiceret aut camenta tractaret?

- III. *Stupenda est particularum materiae divisibilitas, quod ex observationibus microscopicae, ductilitate auri & particulis odoriferis luculenter elucet.*
- IV. *In omnibus corporibus tum fluidis tum solidis dantur pori & vix ullum erit, quod non secundum aliquas partes agitetur motu intestino, variaque effluvia transpiret.*
- V. *Vacuum coacervatum est possibile, licet actu non detur, datur tamen disseminatum.*
- VI. *Gravitas non est vis corporibus intrinseca & nativa, sed oritur a principio extrinseco, id ipsum de principio motuum elasticorum statuimus.*
- VII. *Causa motus continuati habetur in complexo ex indifferentia, inertia, absentia impedimentorum extrinsecorum supposita determinatione prima.*
- VIII. *Gravia quiescunt, dum linea directionis transit per basin in fulcro sustentatam.*
- IX. *Gravia in descensu per se motum accelerant, in ratione arithmetica incipiendo ab unitate progrediendo per numeros impares; in ascensu vero motum retardant, ordine inverso.*
- X. *Mobile secundum diversas directiones non tamen e diametro oppositas utrisque viribus se accommodat, adeoque viam mediam decurrit.*

XI. Cor  
 um r  
 cur  
 projec  
 XII. Me  
 trum,  
 tem i  
 XIII. C  
 ris au  
 simul  
 XIV. A  
 incide  
 XV. Co  
 dium  
 pend  
 medic  
 rariu  
 XVI.  
 tia  
 tibu  
 XVII.  
 eode  
 vita  
 mon  
 XVII  
 ad r  
 poss  
 XIX.  
 plan  
 solut

XI. Corpus horizontaliter aut oblique deorsum projectum præscindendo a medio percurrit curvam parabolicam: oblique sursum projectum integram parabolam absolvit.

XII. Mobile, quod gyratur circa aliquod centrum, nititur ab illo recedere, per tangentem in singulis orbitæ punctis.

XIII. Causa motus reflexi est elaterium corporis aut reflexi aut reflectentis aut utriusque simul.

XIV. Angulus reflexionis est æqualis angulo incidentiæ.

XV. Corpus solidum oblique incidens in medium densius motum suum refringit a perpendiculari, ad perpendicularum vero, dum ex medio densiore transit oblique in medium rarius.

XVI. Causa motus refracti est diversa resistentiæ mediolorum diversis corporis mobilis partibus inæqualiter obsistentium.

XVII. Causa physica æquilibrii ponderum ex eodem jugo suspensorum sive massæ & celeritates sint æquales, sive reciprocent, est momentorum respectivorum æqualitas.

XVIII. Machinæ, queis utitur mechanica, vel ad vectem vel ad planum inclinatum ferme possunt revocari.

XIX. Vires respectivæ, quibus mobile per planum inclinatum descendit, sunt ad absolutas, uti altitudo plani ad longitudinem.

XX.

XX. Fluida premunt in omnem partem, seque componunt ad æquilibrium.

XXI. Fluida homogenea in tubis communicantibus sunt in æquilibrio, si sint ejusdem altitudinis perpendicularis; heterogenea, si fuerint eorum altitudines inverse, ut gravitates specificæ.

XXII. Phænomena Barometri, Antliarum, Hemisphæriorum Magdeburgicorum, marmorum levigatorum, fontium salientium aliarumque machinarum huc spectantium per pressionem aeris nunc majorem, nunc minorem recte explicari possunt.

*Reflexio Critica.*

PHYSICAM ad eam, qua hodie refulget, lucem, provexere viri illustrissimi ac rerum philosophicarum peritissimi: GALILÆUS, CARTESIUS, NEUTON, qui superstitiosæ antiquitatis jugum suis a cervicibus excusserunt, veterum Philosophorum barbas repexuerunt, novisque rerum systematis, legibus, hypothesebus ac parergis doctrinam philosophicam illustrarunt. Utrum vero Philosophia hodie tam exulta, suum jam Tropicum attigerit, divinare non possum: sic tamen existimo, scientias habere suas periodos, fortasse illa ipsa systemata, quæ tanto cum strepitu crepat genius hujus delicati sæculi, delebit dies, & cum cessaverint esse nova, forsitan etiam vera esse desinent. Scilicet palliis philosophicis idem contingit, quod cæteris vestibus, quarum illæ habentur elegantiores, ac præ aliis expetuntur, quæ sunt novæ & ad genium sæculi elaboratæ.

PHILO-

PH  
L  
ca  
non PH  
publici  
tum ni  
& quæ  
Philos  
præcip  
speciali  
pertrad  
LOGIA  
Elemen  
nis, M  
TALLU  
de Pla  
ANT  
Ex fin  
I. Cor  
cum  
tione  
postu  
II. Da  
arte  
deun  
III. Sc  
lo pa  
exerju

PHILOSOPHIA SENSUUM  
SPECIALIS.

**L**atissimum æque ac jucundissimum hic campum natura aperit, cui decurrendo non Philosophi vita, sed societates solum publicis sumptibus coactæ sufficiunt. Totum nimirum universum, cælum terramque & quæ amplissimo suo sinu complectitur, Philosopho coram natura exhibet; partes præcipuæ, in quas dispesci solet Physica specialis, hæ fere sunt: **COSMOLOGIA** pertractans de mundo generatim, **ASTROLOGIA** de astris, **STOECHIOLOGIA** de Elementis, **METEOROLOGIA** de Meteoris, **MINERALOGIA** de Lapidibus, **METALLURGIA** de Metallis, **PHYTOLOGIA** de Plantis, **ZOOLOGIA** de animalibus, **ANTHROPOLOGIA** de corpore humano. Ex singulis præcipua ac digniora delibamus.

- I. *Corporis humani partes, constitutio, sensus cum externi, tum interni nostram admirationem & studium jure sibi deposcunt, quæ postulati explicabimus.*
- II. *Datur in homine perpetua sanguinis per arterias abeuntis & per venas in cor redeuntis circulatio.*
- III. *Sonus primitivus consistit in motu tremulo partium minimarum corporis sonori, orto ex ejusdem corporis percussione, collisione &c.*

IV.

IV. *Sonus derivativus fit per motum tremulum aeris a partium tremore corporis percussi aut collisi ipsi aeri communicato, & ad aures delato, perque illarum anfractus continuato, atque ibi reconditum auditus organum percellente.*

V. *Lux derivativa in motu vibratorio ætheris, a luce primitiva rectilinee communicato & ad retinam oculi regulariter propagato constituitur.*

VI. *Visionis organum præcipuum est retina.*

VII. *Calor & frigus, odor, sapor explicantur sine accidentibus absolutis.*

VIII. *Color formalis est ipsum lumen, quod ab objecto in oculum reflectitur. Color fundamentalis a magnitudine, figura, textura, tensione & situ particularum ipsum corpus componentium dependet.*

IX. *Plantarum genesis a proprio & specifico semine habetur.*

X. *Semen & nutritionem plantarum formari a plantis, idque sine anima vegetativa veterum defendimus.*

XI. *Systema evolutionis a pluribus hodie commendatur ut comptum ac elegans, nulla tamen est necessitas illud admittendi \*).*

XII.

---

\*) An omnes jam vulpeculae in prima vulpe latuerint, nulla jam de novo generetur?

XII. Succus, quo nutriuntur plantæ, est humor quidam per terræ viscera diffusus, qui nihil videtur esse aliud, quam aqua permixta & imprægnata particulis heterogeneis præsertim sulphureis & salinis.

XIII. Pro phænomenis Electri explicandis aptior videtur esse hypothesis statuens effluxum & refluxum materiæ electricæ amissum æquilibrium reparare conantis.

XIV. Terræ motus oritur ex subitanea inflammatione materiæ bituminosæ, sulphuræ, nitrosæ in terræ sinu facta.

XV. Magnetis phænomena utcunque explicant, qui statuunt effluvia circa terram & corpora magnetica gyrantia & simul peculiarem corporum magneticorum structuram.

XVI. Æstus marinus sepulchrum humanæ curiositatis est. Quid tamen hic verosimilius dicendum, interroganti resolvet D. Defendens.

XVII. Fontes originem suam non immediate ducunt ex mari, sed ex pluviis, nivibus resolutis, vaporibusque tum intra, tum extra terram elevatis & alicubi in hydrophyllis congregatis.

XVIII. Cometæ sunt sidera mundo coæva, ex se nullius præsaga mali.

XIX.

XIX. Quæ ad mundi artificialem representationem, circulos cælestes, terraquæ divisionem in plagas cardinales, Zonas, Climata, usum mapparum Geographicarum pertinent, petenti exponemus.

XX. Ab Astrologia hominum fata repetere impium, qualitatem aeris, & tempestatis in annum integrum prædicere vanum est.

XXI. Systema COPERNICANUM sua se simplicitate commendat; TYCHONICO favet scriptura, utrumque phænomenis satisfacit.

XXII. Præter actionem lucis & caloris astrorum in sublunaria influxum alium non agnoscimus.

*Reflexio Critica.*

Equidem natura finem suum pandit sollicitis rerum scrutatoribus, multaque jucunda & curiosa nostra hæc ætas videt, quæ majores nostri scrutari, at vero assequi non poterant. Interim in tanta rerum physicarum amplitudine, varietate, copia, complura adhuc sunt, de quibus post longas speculationes & labores egregios nihil exsculpsimus, nisi, nos plurima adhuc nescire, ne ignoremus.

Ordin  
ph  
ignitar  
Ethica  
tonis l  
honest  
proind  
natura  
Philoso  
fientii  
du ac c  
I Vera  
creat  
bono  
post  
ulti  
II. Re  
sed  
ped  
bul  
III. P  
alii  
\*) An  
qui sing  
dicatur I  
philosoph  
primaria  
mundi



PHILOSOPHIA MORUM

**O**rdine, quo tractari solet, post Philosophiam mentis & sensuum postrema est, dignitate autem prima. Dicitur autem Ethica morum Magistra & disciplina ex rationis lumine dirigens actiones humanas ad honestatem & felicitatem naturalem; ejus proinde munus est, ut regulas morum a natura scriptas interpretetur & sic tironem Philosophum præparet, ut in sublimioribus scientiis majori tum vitæ tum doctrinæ fructu ac commodo versari possit.

**I.** *Vera hominis felicitas non consistit in ullo creato seu fortunæ, seu corporis, seu animæ bono, sed in solo Deo, cujus beata possessio post mortem consequenda revera est finis ultimus hominis.*

**II.** *Regula morum non est natura rationalis, sed lex Dei æterna, quam conscientia ceteri pædagogus animæ applicat & veluti in tabula naturali legendam exhibet.*

**III.** *Peccatum philosophicum \*) non datur, aliud est de peccatis Philosophorum.*

**IV.**

---

\*) Annon merito succenseat Philosophus, quod abortus, qui fingitur esse contra solam rationem, non contra Deum, dicatur PECCATUM PHILOSOPHICUM, quasi verò Philosophus solam rationem spectaret, non Deum, cum tamen primaria cura Philosophi esse debeat, nosse Deum & ex fabrica mundi & creaturis veluti ex aperto libro legere Creatorem;

- IV. Datur jus naturæ, idque omnes & solos homines ratione utentes non solum dirigit, sed etiam vere obligat.
- V. Præcepta juris naturæ prima & generalia nequeunt ab homine rationis compote ignorari.
- VI. Jus naturæ est immutabile, neque admittit dispensationem aut Epiikiam propriam talem.
- VII. Principium sive dictamen juris naturæ constitutum practicum & fundamentale est præceptum amoris triplicis erga Deum, seipsum & proximum.
- VIII. Principium cognoscendi adæquatum & legitimum juris naturæ intra naturam est recta ordinatio naturæ rationalis ad finem ultimum: extra naturam sunt perfectiones Dei, præsertim ejus Sapientia & Providentia.
- IX. Principium socialitatis a PUFFENDORFIO multo studio propugnatum non est adæquatum & pluribus nævis obnoxium.
- X. Lex etiam humana debitis vestita conditionibus vere obligat in conscientia.
- XI. Ad valorem legis humanæ necessario requiritur promulgatio, non acceptatio subditorum.
- XII.

XII. *An Lex Ecclesiastica universalis debeat pariter in dicecesibus juxta normam legis civilis promulgari, gravibus in utramque partem a Theologis & Canonistis disceptatur, nobis sufficit promulgatio facta Romæ.*

XIII. *Lex Evangelica est vera lex, nec præcipit impossibilia, ejus proin præcepta non sunt indigna vincula libertatis.*

XIV. *Datur Religio, quæ debetur supremo Deo, & causa discordiarum aut tormentum conscientiarum dici nequit.*

XV. *Religio non est inventum mere politicum a Magistratu politico aut principe, quo subditi in obsequio continerentur.*

XVI. *Religio naturalis non sufficit homini ad perfectam felicitatem adducendo, hinc Religionis revelatæ necessitatem contra Deistas defendimus.*

XVII. *Nunquam licet se ipsum occidere.*

XVIII. *Bellum ex justa causa suscipiendum non est jure naturæ prohibitum.*

XIX. *Bene autem Duellum privata auctoritate susceptum.*

XX. *Passionum motus de se mali non sunt.*

*Refle-*



*Reflexio Critica.*

ETHICA prout hodie in scholis traditur, materiarum apparatu ac ordine digesta est, ut non solum theologiæ, sed jurisprudentiæ etiam ancilatur & utriusque candidatos non moribus solum sed iis etiam elementis prævie imbuat, quæ sublimioribus scientiis multiplici usui esse poterunt. Adhæc disciplina morum sive Ethica vix maxime hodie necessaria est. Si enim tempus vult, quo obarmare tenellos animos contra invalescentem improbitatem oportuit, nostræ huius ætati potissimum hæc macula adhæsit. Quare non præpropere agunt, aut suis commodis non inserviunt, qui vix haustis Dialecticæ elementis, jam in sacra Themidos penetralia uno veluti saltu irruunt & gressum nimis præcipitant. Mirum dictu! primis elementis latinæ linguæ integros annos consecrant, Philosophiam vero intra bimestre absolvunt, facti jam, facti, nati ac præparati ad omnes scientias, quo vero id fructu, quo commodo rei publicæ, patriæ, parentum, familiæ? Videntur isti currere in stadio litterario, non ut accipiant bravium, sed ut fastigium moliantur ante fundamenta.




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

# TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



# TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007